

non sit expositum, quae pia praxis Decretis pontificiis apprime est conformis¹. Stropha vero *O salutaris Hostia* in Hymno Laudum Officii SS. Corporis Christi, dicitur flexis genibus quando SS. Sacramentum est expositum; alias caput tantum profunde inclinatur.

95. Fit prostratio cum osculo terrae ad *Et incarnatus est*, ad utramque elevationem, et ad benedictionem in fine Missae.

96. Post *Sacrosanctae* quod flexis genibus dicitur, dicto *Amen*, omnes terram osculentur (resp. scamnum), solo Hebdomadario excepto, qui *Y. Beata viscera Mariae* etc. et subsequens Responsorium genibus quidem flexis, sed erecto capite iunctisque manibus dicit.

97. Prostratio cum osculo terrae resp. scamni solummodo in nostris Ecclesiis et Choris fit, sed fiat maxima cum decentia.

§ VII. — *De coniunctione et contectione manuum.*

98. Iunguntur manus ad *Domine labia mea aperies* et ad *Deus in adiutorium*, ad principium omnium Horarum canonicarum et etiam Officii parvi B. V. Mariae usque ad *Gloria Patri* etc. exclusive, et ad *Confiteor*.

99. Iunguntur quoque quoties benedictio ab Hebdomadario petitur his verbis: *Iube domne benedicere*, et in fine Lectionum cum proferuntur verba: *Tu autem Domine miserere nobis*; item ad verba Evangelii tertii Nocturni usque ad *Et reliqua inclusive*; ab Hebdomadario ad *Misereatur et Indulgentiam* post *Confiteor*,

¹ S. Rit. C. 4 Aug. 1663, in una Urbis.

ad Antiphonam finalem B. V. Mariae et Lauretanis Litanias, ad Salutationem angelicam mane, meridie et vespere, ad preces vespertinas in Choro et ad *De profundis* quod vespere in Choro pro Defunctis recitatur.

100. Iungantur manus ita, ut palmae utriusque se tangant, et pollex dexteræ super pollicem sinistre positus Crucem formet. Manus iunctæ decenter super pectus teneantur erectæ, ne tamen os aut faciem tangent.

101. Manus, quantum fieri possit, intra manicas aut sub mantello iuxta nostræ Religionis consuetudinem contegenda, aut saltem alio quovis modo ante pectus honeste et religiose collocandæ sunt durante Officio, nisi formando Crucem, pectus tundendo aut alia quamcumque re ad Officium pertinente sint occupatae.

§ VIII. — *De brachiorum extensione.*

102. Brachiorum extensio, qua Christi Crucifixi imago, velut in nobis delineata repraesentatur, et memoria recolitur stigmatizationis S. P. N. Francisci, quae proinde in Ordine Minoritico semper in usu fuit, fit post elevationem Calicis in Missa conventuali: tunc enim quotquot in Choro sunt, aut Missis superpelliceo non induti inserviunt, quinque *Pater noster* et *Ave Maria* extensis brachiis recitent.

103. Praeterea, quoties post supplicationes pro aliqua necessitate factas, semel vel plures *Pater* et *Ave* iubente aut ordinante Superiore dicuntur.

104. Extenduntur pariter brachia, quoties in Choro *Pater noster* ad lucrandas Indulgentias, aut pro benefactoribus etc. recitatur.

105. Privatum vero hac praxi frequenter uti optimum erit, ut antiqua haec orandi consuetudo, quae Deo gratissima est, in Ordine nostro conservetur.

106. Illa vero brachiorum extensio non languens, non remissa: sed impigra, modesta et devota sit, quae animum Dominicae Passionis contemplatione imbutum et divina erga Christum charitate flagrantem ostendat. Brachia ergo ita extendantur, ut manuum digiti altitudinem verticis capitinis attingant.

§ IX. — *De pectoris percussione.*

107. Pectus tunditur ter ad *Confiteor*, ab iis qui illud recitant, tam in Officio quam in Missa, et quamcumque alia occasione, ad triplex *mea culpa*; item ab omnibus ad verba *nobisque remissio* etc. in *Sacrosanctae*, ad utramque elevationem Missae, ad *Nobis quoque peccatoribus*, ad *Agnus Dei* ter cum Sacerdote ad *miserere nobis* et *dona nobis pacem*, praeterquam in Missa Defunctorum, ac tandem ad triplex *Domine non sum dignus*.

108. Iuxta antiquum Ordinis nostri usum pectus quoque percutitur ad primum *Propitius esto* et ad *Pecatores* in Litanis Sanctorum, ad triplex *Agnus Dei* in iisdem et aliis Litanis, et ad *Refugium peccatorum* in Litanis Lauretanis.

109. Pectoris percussio, quae fit dextera aperta et extensa digitisque simul coniunctis, non sit strepitosa, sed pia et modesta, ita ut mentem et cor sincera peccatorum suorum contritione imbutum in spem divinae clementiae erigit, ac caeteros ad pietatem excitet.

§ X. — *De aperiendo et operiendo capite, et de mantello deponendo.*

110. Cum iuxta Maiorum nostrorum praescripta usus modesti birreti seu pileoli solis Sacerdotibus permittatur, ex quadam dignitatis ratione, non vero Clericis et Laicis absque licentia P. Provincialis (imo nec ipsi Sacerdotes quantum fieri possit, pileolum adhibeant in Choro et in Ecclesia), sequentia observanda occurunt.

111. Generatim, dum Chorum ingrediuntur, ex eo egrediuntur, per Chorum transeunt et officium aliquod in Choro vel Ecclesia peragunt, Sacerdotes aliquie omnes pileolo uti nequeunt¹.

112. Nemo, quamvis episcopali dignitate insignitus, benedictionem cum Reliquia SS. Crucis vel alicuius Sancti impertiri potest capite pileolo cooperto².

113. Pileolum omnes deponant in Officio dum erit genuflectendum, dum legitur Evangelium ante Homiliam, dum faciunt Confessionem ad Completorium nec non ad Primam, qui praecinit aut intonat Antiphonas³, aut legit Invitatorium, Lectiones, Responsoria brevia ac Martyrologium, vel cantat Passionem⁴. Item ad Preces et Orationes omnes, ad Antiphonas finales B. M. V., et ad orationem *Sacrosanctae*.

114. In Missa, quando asperguntur aqua benedicta in Dominicis; quum suas ad invicem Confessiones fa-

¹ S. Rit. C. 18 Decemb. 1660.

² S. Rit. C. 22 Septemb. 1837.

³ S. Rit. C. 15 Septemb. 1753.

⁴ S. Rit. C. 10 Septemb. 1701.

ciunt; dum *Kyrie*, *Gloria*, *Credo* et *Sanctus* dicuntur, ad cantum aut lectionem Evangelii, ad *Et incarnatus est*, et dum incensantur, aut pacem recipiunt, a *Sanctus* usque ad sumptionem SS. Sanguinis, sive ad Communionem Cleri vel populi, ad benedictionem sub fine Missae, dumque SS. Sacramentum adorandum Fidelibus super Altari expositum est.

115. Cum mantellum solummodo ut tuitio a temporum iniuriis adhibeatur, et non ut forma regularis habitus¹: ideo quotiescumque aliquid agendum sit, quod in propria habitus forma praestari debeat, illud deponi opus est. Itaque deponatur ad Candelas, Cineres et Palmas recipiendas, ad Eucharistiam sumendam, et ad Crucis adorationem Fer. VI. in Parasceve. Acolyti, Lectores quoque ac Hebdomadarius, dum legunt Lectiones, Martyrologium, Prophetias, Lamentationes, mantellum prius deponant.

§ XI. — *De ritu et cantu in divino Officio servando.*

116. Cum vi seraphicae Regulae de praecepto stricte teneamus Officium facere iuxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, licitum nobis non est, ne in minimis quidem recedere ab iis, quae tum sacris Rubricis Ecclesiae Romanae ordinata sunt, tum sacrae Rituum Congregationis Decretis.

117. Nostram igitur normam in divinis Officiis celebrandis constituere debent libri liturgici ipsius Ecclesiae, nempe Breviarium Romanum, Missale Roma-

¹ Carpo: Caeremoniale, p. I, c. 6, n. 29.

num, Rituale Romanum, Pontificale Romanum, Martyrologium Romanum, et Caeremoniale Episcoporum, nec non Decisiones et Declarationes sacrorum Rituum Congregationis.

118. Hinc Breviaria et Missalia Ordinis nostri, exceptis Officiis et Missis nobis expresse concessis, perfecte concordare debent Breviario et Missali Romano; et nemini licitum est ex se aliquid ipsis addere, vel in ipsis aliquid aut imminuere aut aliquo modo immutare; et iuxta in ipsis praescripta ac S. Congregationis Decreta Calendaria nostra ordinanda sunt.

119. Decreta autem omnia eiusdem S. Congreg., prouti universus Clerus, sive saecularis sive regularis ritus latini, et nos adamussim observare debemus, et hoc, ut eadem S. Cong.² declaravit, non obstante seraphica paupertate, Ordinis consuetudine, humilitate in nostris functionibus, ac Ordinis Constitutionum approbatione Apostolica; nam Decreta S. Rit. Cong. semper eamdem vim ac auctoritatem habent, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent², ac pro veris legibus, quae in conscientia omnino obligant, habenda sunt³.

120. Si Ecclesiis nostris sufficiens Clerus (Diaconus, Subdiaconus, Acolyti ac Ministri) adsit, tenemur sacras functiones peragere iuxta Missale Romanum; si pauc tantum Clerici aut Ministri sint, utendum est Memoriali Rituum Benedicti XIII. Ad dubium enim: «An Capuccini possint ad libitum, et in una eademque Ecclesia

¹ S. Rit. C. 17 Decemb. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 1.

² S. Rit. C. 23 Maii 1846.

³ S. Rit. C. 11 Septemb. 1847, in una Angelopolitana.

sacras functiones peragere nunc iuxta praescriptiones ordinarias Missalis Romani etc., nunc utendo Memoriali Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito? » S. Rit. Cong. respondit: « Si Ecclesiae sufficiens Clerus suppetat, peragant functiones iuxta Missale Romanum: si tres aut quatuor Clericos tantum habeant, utantur Memoriali Rituum Benedicti XIII¹. »

121. Apud Regulares etiam Fratres Laici in sacris functionibus Clericorum vices adimplere valent, hic igitur nomine Clericorum et ipsi veniunt. Curare proinde debent Superiores coenobiorum praesertim parvorum, ut Fratres Laici, et praecipue qui litteras sciunt et magis idonei videntur, instruantur, ut deficientibus Clericis eorum vices recte adimplere possint. Immo et loco Clericorum haberi possunt et pueri talari veste et cotta induiti; igitur et si Laici defuerint, istiusmodi adolescentuli, honesti tamen ac religiosi, instruantur.

122. Congregatio nostra formalis cantus usum non habet, si paucos excipias casus, neque in divino Officio, neque in Sacrificio Missae, neque in aliis functionibus; sed humili, aequali et unisono tono in Officio, et semitonato seu quasi psalmodico in sacris quibusdam functionibus utitur. Et hic modus canendi retineri potest in cantandis Missis². In Officiis et Missis vero parochialibus, sive in propriis, sive in alienis Ecclesiis cantandis, Nostrates cantu Gregoriano utantur.

123. Officium divinum non nimis alto, nec nimis demisso, sed mediocri ac gravi vocis tono Hebdomadarius incipiat, quem caeteri omnes sine praecipitatione,

¹ S. Rit. C. 17 Decemb. 1888, in una Ord. nostri, ad n. 17.

² Ibid. ad n. 5.

sed etiam absque caudis et biscantu, ut Constitutiones nostrae innunt, habito respectu ad illos, qui voce fortiori donati Chorum sustinent¹, prosequantur; ita ut prorsus idem tonus quo semel Officium inchoatum fuit, tam in principio, quam in fine Officii retineatur: quod si forte ob illius declinationem elevandus esset, hoc a solo digniore Patre Chori fieri debet.

124. Vesperae semper altiori ac solemniori tono canuntur. Item Matutinum cum Laudibus in quibusdam solemnitatibus. Antiphona finalis B. M. Virg. semper tono gravi est dicenda.

125. In Psalmodia brevitas et longitudo, seu quantitas verborum et syllabarum attendantur; nec ultima syllaba longius protrahatur, sed potius penultima longior teneatur: v. g. ne dicatur *Dixit Dominus Domino mēō: sede a dextris mēis*, sed *mēō et mēis*; et in medio versuum, ubi est asteriscus, pausa servetur².

126. In Versiculis et Responsoriis, in quibus locus pausae est dubius, sequens regula servetur: pars prima Responsorii sit brevior secunda, v. g. *Domine * dilexi decorum domus tuae*; — *Constituet eum * dominum domus suae*. Cavendum tamen, ne sensus torqueatur aut adulteretur.

127. In Hymnis dum canuntur, versus a versu secernatur, servando in fine cuiuslibet versus parvam quamdam morulam; sed non saltitando aut quasi metrum scandendo, tamen uniformiter in cantu omnes procedant.

128. Ad Matutinum *Domine labia mea* etc., *Deus in adiutorium meum* etc. in caeteris Horis, *Converte*

¹ S. Rit. C. 9 Iulii 1864, in una S. Iacobi de Chile.

² Ibid., ad n. 1.

nos et Deus in adiutorium meum etc. ad Completorium, non festinanter, sed graviter, morose, non tamen spatiis interiectis, sed continuo vocis ductu ab Hebdomadario intonentur; cui eodem quoque vocis tono, gravitate, tarditate et continuatione Chorus respondeat.

129. Caeterum observandum, quod verus ac gravis Officii recitandi modus potius exercitio seu praxi acquiratur, quam regulis; ideoque Superiores ac Hebdomadarii caeteris, praesertim iuvenibus, gravitate et dignitate in habitu ac tono vocis praecedant.

PARS SECUNDA

De divino Officio.

CAPUT I.

DE ATTINENTIBUS AD ILLOS, QUI DIVINO OFFICIO
IN CHORO INTERSUNT.

§ I. — *De officio Superioris in Choro.*

130. Primum Superioris officium est curare, ut quae ad Chorum ac cultum divinum spectant, provideantur et ab omnibus digne et decenter peragantur, ita, ut Deus honorificetur, populus, qui laudibus divinis assistit, aedificetur, et Fratres ipsi divino amore inflamentur. Magno ergo zelo huic officio incumbat, et omnes suo exemplo praecedat.

131. Guardianus, qui est domus ac Chori Superior, eam in Choro sedem, velut digniorem perpetuo habet, quae in medio Chori in dextera illius parte sita, legile ex opposito respicit; ex qua omnibus invigilare omniaque in Choro peragenda dirigere possit, et quam nemini unquam cedat, praeterquam Provinciali aut maiori alteri Superiori.